Q. D. B. V.

19

EXERCITATIO ACADEMICA

De

SCABIE PERIODICA PARTICULARI,

Quam

Conſenſu gratioſæ Facultatis,

Sub PRÆSIDIO

RUDOLPHI JACOBI CAMERARII,
Phil. & Med. Doct. ac Prof. Ord.
PATRONI ET PRÆCEPTORIS SUI COLENDISSIMI,

Amico Commilitonum Examini
ſubjicit

PETRUS Keck / Giengenſis,

IN AUDITORIO MEDICO
ad diem 30. Sept.
hor. conſuetis.

TUBINGÆ,

Typis JOHANN. CONRADI REISI,

Anno MDCCI.

INCLYTÆ ET LIBERÆ
SACRI ROM. IMP. REIPUBLICÆ GIENGENSIS
ORDINI SENATORIO,
VIRIS
Nobiliſsimis, Ampliſsimis & Prudentiſsimis,
DNN.
CONSULIBUS,
SYNDICO,
cæterisque
DNN. SENATORIBUS,
PATRIÆ PATRIBUS,
Dnn. Patronis, ac Fautoribus ſuis
piâ veneratione ac obſequiorum cultu
proſequendis,

DISSERTATIONEM HANCCE ACADEMICAM

Ea, qua par eſt, animi ſubmiſſione

SACRAM VULT

PETRUS Keck.

Hiſtoria.

Phænomena ſcabiei periodicæ particularis, quæ in proprio corpore obſervavit juvenis philiater, & exercitij gratiâ in diſputationem vocare voluit, hæc ſunt:

Laborare primùm cœpit ante ſex retro annos, incertum quâ de causâ, frequentans tum gymnaſium in urbe, ubi ex Zythopotâ jam Oenopota factus, vixerat per biennium, dubius, an contagij quid ſubfuerit.

Tempus anni tunc erat vernum, duratio ſcabiei, nullo externo neque tum neque poſthac medicamento tactæ, fuit 14. dierum; Hinc quies & libertas ad usque autumnum, quo ſcabiei rurſus datæ duæ ſeptimanæ. Sequens annus ſub idem utrumque tempus ſcabiem tulit priori in omnibus ſimilem.

Aliò delatus cùm per tres quadrantes anni cerevîſiam biberet, ultra periodum vernam & autumnalem primâ vice circa medium ferè æſtatis, & ſequentis pariter hyemis, ſcabiem illam per duas ſeptimanas pati, & hactenus quatuor iſtis vicibus per ſingula anni tempora experiri neceſſe habuit.

Nam utut in academiam hinc translatus fuerit, ſub vini & cerevîſiæ diætâ, ubi quidem cibos largius quàm hactenus ipſi ſolitum ſale conditos meminit, non obſtante uſu purgantis tempora ſua obſervavit ſcabies, levior tamen; item non obſtante febre continuâ quâ in principio veris ante annum per aliquot ſeptimanas laborârat, nihilominus brevi poſt ipſam ſuperatam rediit, & more ſolito dein continuavit ſcabies.

 Ad

Ad nos delatus multum dedit infuſo theæ cum veronicâ, vidit autem ſuam ſcabiem hoc anno binis menſibus, Januario & nupero Majo, ita tamen, ut gradu remiſſiorem; etiam veſiculas exiguas in actum non planè erumpentes non ſemel expertus. Suſtinuit porrò ferente ita conditione nuperæ æſtatis binos inſultus levioris choleræ, nunquam aliàs ſibi notæ.

Hæc ſcabies hactenus ſemper fuit & manſit particularis, ſalvis pedibus, intacto reliquo corpore, occupans ſolas manus, & in eâ duos digitos, indicem, medium cum carpo præcipuè graviter, reliquis vel non vel non multum arroſis: Ita autem ſolent laborare ambæ manus, & una tamen graviùs alterâ, hæc verò proximâ vice præ priore magis ſoleat affligi.

Ordinarium principium ſcabiei hujus eſt in parvis veſiculis ſeſſilibus mordacibus, quæ nimis quàm facilè à ſcalptu & brevi tempore communiter velut cruore ſuffunduntur, elevantur in grandes puſtulas turgidas & pure plenas, primò diſcretas, mox ferè confluentes, quibuscum ordinariè jungitur manûs eryſipelaceus quaſi rubor & tumor, ut per dies noctesque ſatis tum vexetur, ad labores & ſtudia vel inidoneus vel impatiens reddatur æger, pruritu calore ciborum & lecti præprimis concitato.

Conſequens in parte eſt & ſquamularum & cuticularum ſiccatarum delapſus, cutis quaſi cicatriſatæ aliqua manens durities & tumiditas; ſanitas reliqui corporis de cætero nullibi videtur vacillare, niſi quòd ipſe juvenis habitum ſui corporis quem in pueritiâ & adoleſcentiâ floridiorem & ſucciplentiorem meminit in ſiccitatem quandam bilioſo-melancholicam vergere obſervet.

RESOLUTIO.

IN duas ſe ipſe labor noſter diſpeſcit partes, æger vult noſſe cauſas & petit conſilium. Malum autem de quo queritur, incurrit in oculos, ut ſpecies morbi in aprico poſita videatur, quis enim manus de cætero ſani puſtulis prurien-

tibus & purulentis obſeſſas audiens aut videns, non vocat ſcabioſas? Hæc ergò ſcabies ex ſignis, quæ per hiſtoriam occurrunt, innoteſcit non ut ſicca, quæ è parvis veſiculis vel tuberculis parum ſeri & ſaniei fundat, ſed ut humida, non ut fœda, quæ fœteat, exaſperet, depaſcat, ſed ut mitior, non ut maligna, quæ ſerpat, inficiat, ſed ſimplex adhuc & melioris moris, ratione modi tamen ut ſimul inflammatoria, ratione loci, ut particularis, ratione temporis, ut periodica.

Subjectum hujus ſcabiei ſunt manus, & earum ſpecialiter cutis, quà cuticulâ tegitur, & tubulos excretorios ex glanduloſis maſſulis per perplexam fibrarum texturam transmittit ad ſuperficiem; Triplex ergò organon, *primò* ſentiens vi fibrillarum nervearum, & hinc variarum moleſtiarum & dolorum ſedes, *ſecundò* colatorium, jugiter à ſanguine ſpiritus & ſerum ſub vaporis aut ſudoris formâ ſecernens & dimittens, *tertiò* motorium, tam per accidens ad motum muſculorum & oſſium, quàm per ſe aptum natum pati conſtrictionem & relaxationem ſuæ ſubſtantiæ.

Id quod patitur cutis eſt efflоreſcentia veſicularum, quam fundant irritatio, obſtructio, infarctus, apoſpaſma cuticulæ à cute, ſpatium occupante ſero vel pure, ita quidem ut quemadmodum parvuli veluti abſceſſus in ſummâ cute elevati matureſcendo inflammatorium quendam ſtatum exhibuerunt, ita veſicula illa ſuperior exareſcendo quaſi mortua eſcharam demittat. Aliàs qui morbum à ſymptomate, læſam diſpoſitionem à læſa actione diſtinguunt, ſcabiem variè locant: Hi referunt ad ſymptomata nutritionis depravatæ in facultate naturali, quod quo jure fiat è doctrina cauſarum patebit, illi ad morbos partium organicarum læſæ conformationis in magnitudine auctâ, ſcil. ad tumores; Enimverò cùm nec intemperies in cute contracta, nec fibrillis illatæ ſolutiones continui excludi poſſint, patet uno termino ſcabioſo complicatum quid variarum formalitatum ſive paſſionum dici.

Hoc ſubjectum morbi eſt, ſubjectum autem cauſæ magis dubium eſt: Qui alium inficit, poterit ſuſtinere hunc titulum; Qui abſque contagio fit ſcabioſus, ſanguinem ſuum & viſcera, quæ ipſum vel inquinant vel ab inquinamentis non liberant, accuſabit; Cui cacochymico ſuperaccedit contagium, iſta conjungit; Cui ſano olim ſuſcepta infectio diutius inhæret, ſeque diffundit & multiplicat, per vitioſum circulum experiri poteſt effectum fieri cauſam, & productum morbi fieri ſubjectum cauſæ. Inter viſcera hepar olim ſanguificare creditum & in ſcholis pro ſubjecto

 ven-

venditari ſolitum peculiari tractatu valdè exagitavit *Helmontius*, & affectum ſolius pellis voluit; Sed benè eſt, quòd alibi præter ſuſceptum contagium agnoſcit cauſam mox dicendam, internarum partium ſordibus infectam, ad pellem vel vocatam vel miſſam.

Cauſarum ſcabiei aſſignatarum præcipuè tres ſunt, quarum quæ caſui noſtro applicari poſſit, deinceps videndum: In ſcholis quondam accuſabatur ſanguis corruptus vel à contagio vel ab humoribus ſeroſis, bilioſis, aut ſalsâ pituitâ; Exploſis humoriſtis *Helmontius* docuit acorem in ſtomacho eſſe gratum & ordinarium ſaporem; extra ſtomachum autem omnem eſſe præter naturam & hoſtilem, ab eo uti in lotio ſtranguriam, in artubus podagram, &c. ita in pelle eſſe ſcabiem; vel, ut alibi ſcribit, latex ſalſuginem, acredinem, ac putridi commiſtiones ſuſcipiens in pelle varias prurigines excitat. Abhinc communiter ad ſalinum principium exorbitans diverterunt ſequaces, niſi quòd quidam acre ſalſum in genere accuſare maluerint, quàm ſolum acidum, alii hoc acidum viſcido aliquatenùs involvendum duxerint, & niſi quòd corpuſculares acidi illius figuras & ſpicula determinare præſumpſerint. Ad aliam cauſam provocant, qui microſcopiorum fide edocti confirmant & ulterius extendunt, quod vel nudis oculis in quibusdam ſcabioſis veſiculis comparet, nempe ſubeſſe cauſam animatam, ſive genus inſecti, quod ſirones vocant, ita quoque in reliquis ſcabioſis cutis fœditatibus eſſe vivum quid, moleſtiæ & efflorescentiæ principium, quod aliàs etiam in ſanie & pure plurimum & minimum, motu tamen ſuo agnoſcendum, armatis oculis ſe exhibuerit.

Ex his cauſis prima & ſecunda conciliari poſſunt, ſi humores veterum non ut aqua calida vel frigida conſiderentur, ſed ut ſtatus diverſi ſanguinis & ſeri, potentiis ſalinis fœti & corruptioni variæ obnoxii; cur enim, qui acidum & viſcidum prætendunt, cum iis in ſocietatem redire recuſent, qui pituitam ſalſam accuſarunt? Scabiem autem à contagio ortam adeò urgere, quid opus fuit; Cuinam enim veterum hoc ignotum eſſe potuit, ſed ſolùm de diſtinctis diſtinctè fuiſſet pronunciandum. De tertiâ causâ jure dubitatur, partim, an univerſale ſit adeò, quod forte hîc aut ibi ſemel atque iterum comparuit, partim, an cauſæ an coeffectûs potius ſubſit ratio, hoc eſt, an inſectum aut colluvies animata inviſibilis ſit cauſa ſcabiei, an productum aliquod in putrilagine illâ demùm exoriens? Sic interim cutis ſcabioſi comparari poſſet campo, quem ſuberrantes talpæ per cuniculos ſuffodiunt, hîc & ibi perrumpunt, aut dici poſſent ſin-

gulæ

gulæ puſtulæ totidem gallæ, ad analogiam gallarum vegetabilium, quando depoſitum inſecti ovum in variis veſiculis concluditur, detorto in excreſcentias diverſarum figurarum ſucco plantæ nutritio, è quo fundamento non adeò abſonè, fagos folia vicinæ ſylvæ extraordinariâ gallarum copiâ obſitas ſcabie laborare, nuper quidam dixit.

Sal, acidum, impurum illud ſanguinis prius accuſatum, *Helmontio* audit cauſa occaſionalis, ſcilicet in ordine ad archeum, quem proponit dupliciter, & vocantem & mandantem; quod ita concipimus: Suſceptum ab extra aut intus genitum & ad extra miſſum, jam ſui juris, ſecretum, depoſitum acre heterogeneum rationem habet ſtimuli, non ſimplicis, ſed cum fermento, i.e. non ſolum ſtimulat, laceſſit, irritat, ſpiritus & ſanguinem ad ſe vocat, ſed etiam ſuccum nutritium allabentem corrumpit & pervertit, ut favente viſciditate obſtruente tubulos aut acrimoniâ criſpante fibrillas fiat circa ſingulos ſtimulos, tanquam totidem ſpinas analogicas infixas, congeſtio ſanguinis & partialis ſuppuratio, ſubtiliori parte vel tranſpirante vel recurrente, idque ſub dominio ſive directorio naturæ, inſurgentis contra hoſtile illud heterogeneum, & eliminare aut ſubigere conantis.

In applicatione ad noſtrum caſum, res non omninò clara eſt, nec id noſtrâ culpâ, primitùs enim ut amat fieri ad hiſtoriam ſuæ ſcabiei non ita accuratè attendit æger, ut omnium circumſtantiarum exactè recordetur, medicus autem nonniſi ex datis argumentari poteſt; quamvis ergò noſter talis contagii non meminerit, quo infectus fuit ille, manu ſcil. domicellæ cujusdam & chirothecâ, quia tamen in collegio & conſortio vixit adoleſcentum, ubi rarò deſunt ſcabioſi, ex ipsâ converſatione ipſum primitùs aliquid accepiſſe credibile eſt: Ex alterâ verò parte ſuppetunt ſuſpiciones etiam pro ſcabie ſine contagio natâ; In ſpecie utut fortè primitus ab infectione ortum habuerit, utut ſemel atque iterum ſub ſocietate ſcabioſorum potuerit revocari, tamen non toties. Cauſæ ergò remotiores hûc advocandæ ſunt, quæ obnoxium reddere, diſponere ægrum, excitare cauſam, fovere aut toties reproducere poſſe videntur:

Uti ſunt ex cenſu rerum naturalium temperamentum, primò humidius & ſucciplenius, in ſiccius degenerans, quorum illud materiæ copiam & viſciditatem, hoc acrimoniam ſubminiſtrat; ætas vigorem principii moventis ſiſtit, ad & per peripheriam corporis maſſam ſui ſanguinis percolantis & depurantis; *Hippocrates* quidem *3. aph.* 26, pueris vitia

cutis

cutis & varia tubercula tribuit, ſcabiem tamen etiam adoleſcentiæ congruam experientia firmat. E rebus nonnaturalibus vitæ genus non parum contribuit, laborat enim ſtudioſus, quem neſcio cui placuit definire animal ſcabioſum, eò magis quò accedit frequentior mutatio victûs, diæta ſalſa, repulſi fortè ſudores, aut intempeſtivi motus; uti quidem *Becchero* abuſus ſalis malè audit, præ ipſâ carne ſuillâ, & *Riverio* fortior ſtatim à paſtu motus: Adde anni tempus, quod primâ vice vernum fuit, de quo 3. *aphor.* 20. *Vere fiunt lepræ, impetigines, & puſtulæ ulceroſæ plurimæ.* Quò corpus juvenile nondum induratum, obfirmatum mutationes locorum, aëris, aquæ, ciborum facilius ſentit, eò etiam ad externas athmoſphæræ anomalias citiùs ſe accommodat, inſuper detinendo, quod per emunctorium cutis difflari debebat, acredini favet. E rebus præternaturalibus nihil ſuppetit; nec enim ſupervenit, aut ſucceſſit hæc ſcabies alii morbo priori, nec aliàs laboravit æger, unde hæc deduci poſſit, niſi quod ipſa ſcabies prior poſteriori viam usque ſternat, de quo ſtatim: A labe ſcorbuticâ ſtrictè ſic dictâ immunem reddit noſtrum ſua patria, latè autem ita dictum ſerum ſcorbuticum ſive acre ubique ferè accuſari poteſt.

Ab hâc ætiologiâ tentandæ ſunt rationes Phænomenorum, quæ ſecundùm potiora ſcabiei hujus prædicata varias ſuppeditant quæſtiones, ſive varia problemata, in quorum reſolutione procedemus *ariſtotelicè.* Quæri ergò poſſet ex hiſtoriâ:

Cur ſcabies præ aliis morbis ſoleat eſſe contagioſa? Eſt hoc problema numero octavum ſectionis ſeptimæ, eorum quæ tribuuntur *Ariſtoteli*, qui cauſam quærit in duplici principio, partim quòd ſcabies eſt morbus ſuperficiei, qui per ſumma corporis errat, partim quòd humore manat glutinoſo, vi cujus facilius hærere & perſiſtere poſſit, quàm ſicciora alia. Scholarum flagellum auram acidam fermentantem ſubminiſtrat, aut ſeminium quoddam, quod prius in archeo morbum quàm in cute productum fundet? Merentur utique talia attendi, ſed urgenti non omne viſcidum, non omne acidum eſſe contagioſum, & quærenti, in quo ſpecifica ratio acidi phthiſici, ſcabioſi, venerei conſiſtat, quid reſpondebit, qui nullum qualitatibus occultis concedit aſylum? Si vera eſſet hypotheſis iſta verminoſa, ratio contagii videretur melior explicatu, quia, quod *Helmontius* ſibi concepit ſemen, & vix niſi analogicè & impropriè potuiſſet explicare, ita verum & proprium haberemus, ovulum ſcil. fortè ſuſceptum, ſui multiplicabile, ubi loco congruo depoſitum & fotum fuerit.

Cur

Cur adeò pruriens, dulcamara, ſic enim *Platoni* audiiſſe volunt ſcabiem, pathos glycypicron? Eſt hîc actio inſecti vel ſalini ſtimuli, & fibrillarum paſſio, intentata quædam ſolutio continui; An itaque acrior, mobilior cauſa majoris moleſtiæ autor? An ſtato ſuo movetur tempore, uti aliàs qui à ſero ſunt affectus veſperi aut noctu exacerbantur? An calor ipſe ſanguini à lecto, à paſtu inductus excitat & expandit quietam prius cauſam? Porrò, an fricando, ſcalpendo procuratur voluptas, eò quòd exitus paratur cauſæ, vel quòd ipſa obtunditur, vel quòd nova impreſſio priorem quaſi leviorem obliterat? An abhinc ſuccedit dolor, quòd excoriatæ cutis & laceratæ fibrillæ fiant hoc ipſo ſenſiliores, delicatiores, & patiantur acrius ſub affluxu humorum, præ quo jam turgent carnes, repletæ, tenſæ ægrè flectuntur? Cujus quidem conſequentiæ adeò incurius ſolet eſſe ſcalpturiens, ut ſæpè ſtoicus vix videatur ferendo, aut in tali frangenti continentiam præſtare poſſit, etenim hîc quoq; neceſſitas voluptatis cujusdam mater fit, aut nimis læſa patientia tandem in furorem quaſi quendam erumpit, quem ex poſt facto graviter luat æger.

Cur inflammatoria? An quòd impatientia ægri & ſcalptus vehementia accerſit ſanguinem? An quòd ipſe ſanguis ob tincturam ſeri bilioſam facilè ſequax eryſipelaceum obſervat morem? Hujus naturæ eſt ægrimonia quædam motûs in humero, rum ſimul obſervari ſolita, nam eryſipelaceis & ſcabioſis commune hoc phænomenon eſt, quod inter ſua problemata retulit *Baylens*, quare cruribus ulceratis ad inguina tumores fiunt, uti & cùm ſcabies caput infeſtat, colli glandulæ intumeſcunt, cùm brachia, glandulæ quæ ſub alis ſitæ ſunt, cujus quidem cauſam in detentis à conſtrictione compatientium nervorum humoribus quærit, & cui non abſimilem rationem, licet abſque tumore, hîc ſubeſſe prætendimus.

Cur brevis? Longæ & diuturnæ ſcabiei cauſæ quæruntur aliàs in corpore impuro, quod fovet, in viſcido, fixo, quod firmiùs inſidet, in continuato errorum concurſu, in perversâ naturæ conſuetudine: Lege oppoſitorum brevis ſcabies arguet cacochymiæ gradum minorem, cauſam tenuiorem, ſubtiliorem, mobiliorem, diætæ utcunque melioris ſive mediocris obſervantiam, archei minus malos mores. Uti ergò eryſipelas ita & hæc ſcabies brevis quidem eſt, tranſitoria, & terminum acutarum habet communiter, ex communi etiam causâ, deſpumatorio maſſæ infectæ motu, ſed longitudo potiùs fundatur in frequentiâ recurſuum, de quâ proin ſpecialiùs quæritur.

Cur periodica? An, quòd in parte fermentum aut ſeminium aliquod manet, viſcido involutum, glandularum plexibus aut tubulis occultatum, quod ſuo tempore excitatur, uti aliàs quæ à morbis relinquuntur recidivas facere perhibentur; quamvis hæc ſcabies non tam recidiva toties, quàm periodica potius videatur dicenda? An quòd impurum acre in ſanguine vel viſcere genitum & commotum certo tempore ad hæc loca toties mittatur? Poteſt enim ut dictum archeus dupliciter conſiderari, modò ut vocans laticem ad eluendum hunc ſalem ſubcutaneum, modò ut mandans potius eundem alibi tinctum ad has partes externas, ignobiliores, frequentiore decubitu ſive debilitatas, ſive ad receptionem adaptatas, imò tanquam ad emunctorium quoddam, cui jam utut ſuô malò erroneè aſſuevit? Quàm hîc favet cauſa proegumene, tam non procul abſunt procatarcticæ, vi quarum primitus ordinata hæc ſcabies correſpondit æquinoctialibus, dein & ſolſtitialibus temporibus, quibus majores aëris & corporis mutationes contingunt; equidem novilunia ſibi magis pruriginoſa & ſcabioſa fuiſſe putat noſter: Ordinis tandem oblita natura, an ob diætæ, an ob aëris anomalias? nam utraque intempeſtivè ciere valet motus illos depuratorios, cùm utraque ingenerare, irritare, commovere poſſit & ſoleat, quod per aliquod tempus deſiderabatur, aut recondebatur fermentum.

Cur particularis? *Mortonus* ſcabiem in claſſem morborum habitualium univerſalium ſecundariò talium refert, qui licet ex accidente partem aliquam ſingularem primò afficere poſſunt, ſanguinem tamen & ſpiritus univerſos illicò inquinant, neque ex propriâ ſuâ naturâ unam partem ſingularem præ aliâ affectant: Cùm hoc de ſcabie ut plurimum verificetur, cur ergò noſtra reſtrictè particularis? An quòd ob ſubtilitatem cauſæ & vigorem naturæ ad ſuperiora fiat expulſus; propria enim tendentia humori adſcribi non poteſt? An quòd manus denudatæ, contagio, ſordibus, injuriis communiùs exponantur? ubi recordatur noſter, ſe utramque manum in pueritia ferventi aquæ improvidè immerſam aduſſiſſe non leviter. An digitorum unus præ altero privilegium quoddam habet, uti quosdam etiam ultimos à podagrâ tentari volunt? An ob paucitatem materiæ, an ob reſiſtentiam ſanarum partium ulterius progredi prohibita?

Cur alternans? Fuit hactenus ſibi relicta, non turbata, per medicationes neque in bonum neque in malum mutata, ordinis aliquandiu ſatis obſervans: unde etiam viſum fuit, referri ipſam poſſe ad actus na-

turæ, quos *Coo* quamvis inerudita facere tamen dicitur, quia expediunt, ſive ad præſervationem aut ad conſervationem conducunt. An ergò hâc vice dextr m, alterâ ſiniſtram, & ſic porrò alternatim petens ſcabies caſuali partis diſpoſitioni, an verò inſtituto cuidam naturæ debetur? Expedient hanc difficultatem, qui quæ illa ſit natura norunt, nos defendemus in conflictu prius.

Cur non obſtante purgatione & febre continuâ rediens, non prævenienda? Illud quidem ſperare vetat & ridet Helmontius, hîc tamen aliquid obtentum fuit ad gradum remiſſiorem; Hoc autem ita comparatum eſt, ut aliàs variè, modò ſiccata ſcabies febrem, ſæpè febris criticam ſcabiem poſt ſe trahat. Hîc neutrum obſervatur, ſed probatur, morbum quidem quandoque morbi remedium aut prophylacticum eſſe poſſe, ſed & ab unâ eâdemque maſsâ foveri diverſas impuritates, quarum ut ita loquar utraque proprium ſuum jus tuetur, nec unâ ſubactâ aut excuſsâ ſtatim alteram fuiſſe ſimul abſumtam aut mutatam ſperari poteſt, quin ſuo tempore recurrere ſoleat & valeat; uti quidem nec infantes variè ſcabioſos proin à variolis vel immunes vel minùs mulctatos notamus. Cholera tamen nupera, quàm vice ſcabiei æſtivæ fuiſſe videtur, tam contra futuram aliquid valituram non vana ſpes eſt: Habenda autem videtur pro effectu orgaſticæ bilis, longo & magno calore genitæ & motæ, etenim modo quodam epidemio non modò fructibus horæis deditos, ſed & quosdam abſtinentes, per nuperos menſes exagitaſſe viſa eſt. Quomodò verò efferam bilem cum frigido tunc ventre conciliabimus?

His ita ſeſe habentibus, quid conſilii? An aliquid agendum noſtro, an nihil? Suppetunt rationes pro & contrà: Videtur illa ſcabies ſuo decurſui, ut ferè hactenus ita & in poſterum, poſſe relinqui, quia tolerabilis, mitis, brevis & particularis, cùm tot alii laborent multò gravius; quia forſan ſponte ſuperabilis, ſolent enim hujus ætatis fœditates cutaneæ progreſſu annorum obfirmato corpore, ſæpius etiam non amplius medicatæ, cedere; quia ſuo ſenſu medica, gravioris mali averrunca, & naturæ impurum rectè expellentis effectus creditur. Ex adverſo metus eſt majoris incrementi ſcabiei in parte ipsâ, intimioris infectionis pertingentis ſenſim & usque ad ſanguinem & viſcera, eſt metus, ne fortè natura deſiſtens ab hâc deſpumatione alium nobiliorem locum affectet, eſt fœditas, moleſtia, earumque frequentia, eſt illud opprobrium: medicus aliorum, ipſe ulceribus ſcates.

Hæc eò valent, ut omninò aliquid agendum ſit, & diſtinctè quidem pro diverſitate temporum, tam præſervativè, quam curativè. Quid contra hanc ſcabiem ut futuram & metuendam ſit agendum, determinabunt indicationes, quarum præcipuæ hæ ſunt. acres illæ & ſalſæ impuritates ut ne in ſanguine generentur præcavere, genitas abſorbere, abſumere, aliò ducere, fermentum parti inhærens extinguere, munditiem ipſi liberamque tranſpirationem procurare.

Hos ſcopos obtineri poſſe confidimus, primò mediis è fonte diætetico deſumtis, hunc enim jure præmittimus reliquis, quia ſolus quandoq; ſufficit, malè autem obſervatus reliquis multùm obeſt. Vitet ergò noſter ante omnia è dictis cauſis, quæ vitari poſſunt, in ſpecie conſortia ſcabioſorum, proprias chirothecas, & omne genus linteorum, quod à ſcabioſâ parte miaſma ſuſcipere potuit, ne in poſterum valeant ad inficiendum; circa nota tempora aut aliàs comparentes leviuſculas efflorescentias erroribus diætæ & importuno ſcalptu non exaſperet; obſervet diætam literatis paſſim præſcriptam, nec lautam nec vilem laudamus, ſtudioſæ & juvenili licentiæ non nimium det.

E fonte chirurgico V. Soem, quam nunquam hactenus inſtituit, adhuc intermittere poteſt, quia factæ alicubi evacuationum familiarium ſuppreſſionis non meminit, nec ſanguinem hîc vel ibi eruptiones affectare obſervat; quod ſi tale quid in poſterum ſenſerit, vernam admittet. Succedaneas cucurbitulas cum ſcarificatione deſtinabit ſummis humeris aut regioni interſcapulari, ſi non obſtante uſu dictorum & dicendorum periodos ſuas repetet ſcabies; obſervet ſua iſta tempora ante novilunium, nec ſtatim ita crebrò repetat, ſufficiet primùm quater in anno eò recurrere: Fonticuli quidem monſtrantur naturæ, ut emunctorium arte factum, quò ſi velit ſibi moleſta benè mittere poſſit, reſerventur tamen adhuc majori neceſſitati.

E fonte pharmaceuticô ex univerſalibus & quæ aliis viam ſternunt prima occurrunt purgantia, nec enim omni labore ſuo id obtinuit *Helmontius*, ut vel in univerſum vel in ſpecie ex methodo curandi ſcabiem fuerint proſcripta, quin magno paſſim practicorum conſenſu adhuc approbentur, tanquam quæ partem cruditatum præripiant, & naturam aliò ducant, uti quidem aliquid unicâ purgatione olim hîc obtentum fuit, & in recenti adhuc memoriâ eſt acuta illa in cholerâ per alvum facta deſpumatio. Habeat ergo pro hoc actu ver & autumnum, nec hîc ſcrupulosè

pulosè nimis humorum diverſitati ſpecifica quærat; formulæ omnigenæ facilimè parabuntur, quia tamen pilulas poſcit, extractum aliquod compoſitum vel illud hellebori nigri cum ſtimulo & mercurio dulci ſumat, doſin obſervans primò mediocrem.

Suam ita operam melius præſtabunt ſuccedanea abſorbentia, depurativa, diaphoretica; formula ſi placeat pulveris, habeat matrem perl. oc. cancr. antim. diaphoretic. aut diaphor. martial. cum cinabari & tantillo ſpec. diarrhod. Quod ſi anni tempus ferat herbas recentes, e. gr. fumariam, ea alterabit ſerum lactis, aut juſcula bellide, veronicâ, cichoreo, naſturtio, vel acetoſa & cochlearia; extra illud tempus ſiccas infundat & theam ita imitetur, proderunt autem hoc ſcopo agrimonia, hypericum, veronica, cum ſalvia, hederâ terreſtri, quarum virtutem intendet guttis tincturæ antimonii, eſſentiæ lignorum, abſynthii compos. elixir. aperit. &c. aut ſi mori novello ſe obſequentem dare velit, ſocietati illorum ſe jungat, qui illud infuſum lignorum, carvatſch vocant, inſtar theæ bibunt; provocet iſterum doſi largiuſcula, aut addita moderata theriacalium doſi, quandoque tempeſtivam & blandam diaphoreſin, ita obſervet nota ſibi tempora, ut talium continuato, repetito, alternante uſu paroxyſmos præveniat; æſtate quoque experiatur acidulas.

Ubi omnibus iſtis, quod non ſperamus, nihil profecerit, ſi malum periodicum porrò & gravius eryſipelas imitari perrexerit, ad antidoton febrile, quod in hoc ſalutare experti ſumus, confugiet, i. e. cum *Mortono* non ſine cortice natabit; quod ſi in proprio corpore experimenta faciendo diſcere voluerit, viperinorum patronum *Ramazzinum* ſequatur; vel tandem parcâ boni mercurii dulcis & cinabaris doſi per dies continuatâ hoſtem oppugnabit. Externa interim pauca ſunto, munditiei ſtudeat, balneum hîc rarius pro abluenda cute ſufficiet, & ſapo coſmeticus.

Supereſt altera noſtri laboris pars, quid agendum, ſi fortè iterum ſuâ ſcabie fuerit prehenſus? Cùm bonum ſignum ſit malæ cauſæ, & in tantum benè agentis naturæ effectus, indicationes erunt tempore paroxyſmi, ſi fas eſt vocare ita dies illos communiter quatuordecim, quibus durare ſolet ſcabies, tam ſalſum illud acre temperare, edulcorare, quàm naturam ſequi, promovendo tùnc ad peripheriam, ubi quantum difflari poſſit tentandum per reſolventia, reliquum maturandum, mundandum, ſimul acrimoniam externè temperando delinienda afflicta cutis. Equi-

 dem

dem tanta paſſim eſt farrago remediorum, contra ſcabiem, ut vel ſolus ſelectus videatur difficilis, nec tamen prohiberi potuit, quin vulgaris ille morbus interdum adeò fuerit pertinax, ut vel cum tædio id fateri medicos coegerit, & cùm medicamenta quandoque fuerint deprehenſa vel non ſatis efficacia, vel non ſatis tuta, redire ad illud priſtinum, naturæ negotium eſſe relinquendum; uti quidem poſt longa hyemis & veris tædia amicum *Ramazzinus* æſtivas juſſit expectare cicadas.

Certus aliàs & potens ſcabiei domitor eſt mercurius & ſulphur, utrumque etiam pro hoc ſcopo multæ præparationis non indigum, quin ipſum crudum & in varia mixtura illitum efficaciter ſit coſmeticum: Si autem ſulphur ſcabiem curat externè, ut acidum, quomodò mercurius ut alcali? Neutrius hactenus uſum ſuſtinuit noſter, partim quòd opus non fuerit, ob paroxyſmos brevi ſponte terminari ſolitos, partim quòd audiat exempla inter nos juvenum & in ſpecie ſtudioſorū, quibus admodùm malè ceſſit talis ſcabiei curatio, ut eam ex poſtfacto quàm maximè reducem optaſſent, cùm epilepſia, acuta febris &c. loco iſtius urgerent. Reſervabit ergò utrumque illud minerale tali caſui, ubi ſcabies longior & gravior urgebit, aut ubi præmiſſis univerſalibus & internis conditio præparati corporis ea tutius admittet.

Quod ſi tamen poſthac ſcabioſus externis opus habere videatur, illinat rubenti tractui ſpiritum vini camphoratum, puſtulas ardentiores ung. lithargyr. cum ol. lil. alb. ſacchar. ſaturn. & camphor. inungat, excoriatis & exulceratis emplaſtrum diapompholygos imponat, aut toti manui fomentum *Ettmülleri* ex aq. calc. viv. ſpir. vin. & ceruſſa deſtinet. Ad therebinthinam juxta præſcriptum *Riverii* aut *Dorncrellii*, vel corticem interlutei coloris de frangulâ juxta formulam *Weikardi*, aut balnea &c. recurrere non coget niſi pejor ſcabies, qualis noſtra obſervatis hactenus præſcriptis vix evadet. Hic ipſe denique paroxyſmus ſcabioſus priora quoque interna prophylactica admittet, in ſpecie quæ ſcopo imbibendi, difflandi & domandi impuritates ſcabioſas & eryſipelaceas commendavimus, alcalina, diaphoretica, cum laudato cortice; quæ quidem tum futuri temporis conditio ſpecialius determinabit, nobis quantum in præſens expediri potuit conſuluiſſe ſufficiat, proin ſalutarem eorum uſum ſub divinâ benedictione apprecati ſubſiſtimus.

DEO SIT HONOR ET GLORIA.

I.

IDem audax eris & felix olim arte medendi,
Si pius & doctus non timidè, haut temerè.

Sic ad Dn. Reſpondentis nomen alludit
PRÆSES.

II.

QUi *KECKI* vincat, qui nunquam fortiter *audet*?
Fortiter ergo *audes*, dum Tibi bella cies!
Auſus es in campos ire? *auſis* pellere bellum
Moturos, donec Tu quoque victor oves!
Ipſis devictis HOSTIS ſuccedat, ut iſtô
Proſtratô teneas fulgida ſceptra poli!
Aude complecti quæ complectenda fideli
{ Arma / Bella } manu, *audenti* ſubvenit Ipſe Deus.

app.
Calamus, animi interpres,
Tui
Dn. Cognate ac amice æſtumatiſſime
WALLISERI.

III.

WAnn Dich/ Gelehrter Keck! die Kühnheit nicht verletzet/
Sey dem nicht reinen Verß' doch auch nicht ungeneig't:
Dann meine *Poëſie* iſt in den Stand geſetzet/
Von dem uns deine Kunſt Natur und Cur gezeig't.
Ich will nicht deinen Ruhm in dieſe Zeilen graben/
Ein Schatten ſchickt ſich ja nicht vor ein Sonnen-Liecht;

Und wer dich treffen will/ muß and're Farben haben/
D'rumb faßt mein enger Kiel noch deine Klugheit nicht.
Nur diß gelehrte Blatt kan recht ihr Abdruck bleiben /
Es zeigt in einem Stück'/ was ſie in allem kan/
Wie du das kranck ſeyn wirſt verhüten und vertreiben/
Und wie dir *Phœbus* mehr als andern zugethan.
Mich dünckt/ Er will dir ſchon verdiente Kräntze winden/
Daß dein ſtäts grüner Ruhm in alle Hertzen ſinck't:
Und *Venus* wird dir auch beliebte Myrthen finden/
Daß die Belohnung nicht/ wie meine Verſe/ hinck't.

Dieſe geringe Zeilen ſchriebe mit eilender Feder
zu ſchuldigen Ehren ſeines wehrten Freundes/

MARTINUS Wieland/
SS. Th. Stud.

IV.

NOn Te Segnitiem *ſcabie* tentâſſe pudendâ
Abundè monſtrat docta diſputatio.
Hinc, dum non *ſcabrâ*, *ſcabiem* meditaris, avenâ
Auguror ego *ſcabris* medelam commodam,
Eximiumque Tibi decus & viridantia ſerta,
Queîs Ars Medendi filios gnavos tegit,
Macte tuâ virtute! cito Machaonas inter
Tibi ſeges ferax honoris accidet.

Hunc
Nobiliſſimo Domino Reſpondenti
ſinceræ amicitiæ ominisque dextri
characterem debuit

MARTINUS LUDOVICUS Miller/
J. St.